



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 179. Congregatio in diversis materiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A. C. 1416.

§. CLXXIX.

Congregatio in diversis materiis.

Die vigesima Februarii ad diversas causas decidendas habita est congregatio. Primum negotium respiciebat Officiales Gregorii XII, hi enim illos Joannis XXIII, tanquam Curiaë officiales agnoscere detractabant. Concilium pro Gregorii Ministris pronuntiavit, dummodo Canonice electi fuissent, cujus rei examen duobus Cardinalibus, totidemque cuiuslibet Nationis deputatis commisit. In eadem quoque sessione decreta fuit Huffitarum Bohemiae & Moraviae citatio, necnon ad Episcopi Argentinensis detentores monitorium, hoc autem non nisi decima Martii publicatum fuit, quo Capitulo, & urbi sub poena excommunicationis injunctum, Episcopum, Cantorem, omnesque hac occasione detentos libertati redderent, & bona eis ablata restituerent. Ast simul prohibitus est Episcopus, ne quoquo modo bona mobilia, vel immobilia ad Ecclesiam Argentinensem spectantia alienet, vel oppignoret, rescissis omnibus, quæ in contrarium facta fuerint, vel fient. Excepere hanc congregationem binæ aliæ vigesima tertia, & vigesima quarta Februarii celebratæ, in quibus Polonorum causa contra Equites Teutonicos magno ardore agitata est, nihil

Vide Supr.
§. CLIV. &
CLXI.

hil tamen conclusum fuit. Præterea ad ^{Sæcul. XV.} instruenda Hieronymi Pragensis acta, A. C. 1416. deputati fuere Commissarii.

§. CLXXX.

Arragonum Regis Legatus Constantiæ.

Die 28 Februarii Legatus ab Arragoniæ Rege ad Concilium missus Constantiam venit, & secunda Martii in Congregatione Generali ad alloquium admissus est. Postquam prolixam habuisset orationem, binas obtulit Epistolas, unam ab Imperatore, alteram a suo Rege Ferdinando scriptam, quæis perlectis compertum fuit, subtractionis negotium præter expectationem tardius procedere, & Castellam, Navarram, & Fuxiensem & Armeniacensem Comitatus adhuc dum, licet multo remissius, Benedicto adhærere, ast spes allata est, fore, ut brevi totum opus perficiatur. Reliquum mensis Martii in pertractanda Joannis Parvi causa infumebatur, licet nihil adhuc decidi potuerit, insuper habitis etiam literis a Carolo VI. Rege ad ejus Legatos datis, quibus novem propositionum damnationem omnibus modis urgere jubebantur. Conquestus erat Rex de trium Cardinalium ausu, quo Parisiensis Episcopi sententiam nullam pronunciarunt. lis-